

## §. 28.

Plurimorum sic vidimus Medicamentorum , secundum quantitates suas expositorum Elenchum, Acida tamen in Morbo à Viscido oriundo planè omisimus, sed quo jure? ( Cum toto die in Praxi observetur ; quod acidiuscula præscribantur ; Syrupus etiam limonum, Cirti, Ribium, Granatorum, Spiritus quoq; minerales, &c. magnum auxilium in Febribus stomachicis & Intestinalibus , in quibus viscidum revera causa peccans existit,) habeant ; ut indicaremus scilicet non propter Viscidum corrigendum, sed potius febrilem calorem mitigandum , adhiberi, si vero cum Volatili temporetur Acidum ejusmodi blandum , ex gr. Clyssus Antimonii cum Essentiis, quæ subtilioribus abundant particulis, in certis casibus magni, sunt usus , hinc Tinctura bezoardica, Mixtura simplex &c. decantata sunt remedia in Asthmate & Tussi molestâ, in quâ Oxydacharum vel Oxymel simul laudantur. Et denique in quem finem Acidulæ Arthriticis & Scorbucis recommendantur nullam sane aliam ob causam, quam quod resolvendi & digerendi scateant Virtutibus, de quibus multa dici possent, sed cum brevitatâ sit studendum hæc transimus..

## §. 29.

Ex fonte Chirurgico inter Remedia Venæ Sectio consideranda venit , quam in morbis à Viscido oriundis non rejicere possumus , nisi dissuadeat ratio , non determinanda, sed judicio Medici potius relinquenda ; Cucurbitulæ cum & sine scarificatione applicatae à multis rejiciuntur, quod subtiliores sanguinis particulas è Capillaribus extrahant Vasis, crassiores vero intactas relinquant ; fonticulorum & Vesicatoriorum Uſus à paucissimis approbatur , nec molestissima setacea ; Valent tamen præter Venæ selectionem Operaciones adhuc aliæ Chirurgicæ , si Tumores scirrhosi in Cancrum degenerantes , aliquæ inflammatorii Corpus afficiant, nec Calli, Nodi, Exulcerationes etiam Chirurgi fugiunt Operam,

## §. 30.

Ultimo ad fontem Diæticum, è quo saluberrima expectanda sunt auxilia descendimus, & quemadmodum Res sex non - naturales in tractatione de cäsis remotis, summe noxias accusavimus, sic jam contrariam pro iisdem hic sententiam foveamus, ita quidem ut jure etiam